Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

autem ambo stabant super iorda-
nem. Tulitque helias pallium suum
et involuit illud et percussit
aquas. Que divise sunt in
utramque partem et transierunt ambo
per siccum. Cumque transissent helias
dixit ad heliseum. Postula
quid vis ut faciam tibi antequam
tollar a te. Dixitque heliseus
Obsecro ut fiat spiritus tuus du-
plex in me. Qui respondit. Rem
difficilem postulasti. Attamen
si videris me quando tollar
a te erit quod petisti, si autem
non videris non erit. Cumque
pergerent et incedentes ser-
mocinarentur, ecce currus ig-
neus et equi ignei diuise-
runt utrumque et ascendit heli-
as per turbinem in celum. Heli-
seus autem videbat et clama-
bat. Pater mi pater mi currus
israel et auriga eius. Et non
vidit eum amplius. Apprehendit-
que vestimenta sua et scidit
in duas partes, et levavit
pallium helie quod ceciderat
ei. Reversusque stetit super rip-
pam iordanis, et pallio helie
quod ceciderat et percussit
aquas, et non sunt divise.
Et dixit. Ubi est deus helie
etiam nunc. Percussitque aquas
et divise sunt huc atque illuc.
Et transiit heliseus. Videntes
autem filii prophetarum qui erant de
iericho ex adverso dixerunt. Re-
quievit spiritus helie super he-
liseum. Et venientes in occursum
eius adoraverunt eum proni
in terra. Dixeruntque illi. Ecce
cum servis tuis sunt .l. viri
fortes, qui possunt ire et
querere dominum tuum. Ne forte
tulerit eum spiritus domini et proie-
cerit in unum montium, aut in
unam vallium. Qui ait. Nolite
mittere. Coegeruntque eum do-
nec acquiesceret et diceret.
Mittite. Et miserunt .l. viros.
Qui cum quesissent tribus diebus
non invenerunt, et reversi
sunt ad eum. At ille habitabat in
iericho. Dixitque eis. Numquid
non dixi vobis. Nolite ire.
Dixerunt quoque viri civitatis
ad heliseum. Ecce habitacio civi-
tatis huius optima est sicut tu
domine perspicis, sed aque pessime
sunt et terra sterilis. At ille
ait. Afferte michi vas novum
et mittite in illud sales. Qui
cum attulissent, egressus ad fon-
tes aquarum misit in eum sal
et ait. Hec dicit dominus. Sa-
navi aquas has, et non erit
in eis ultra mors neque steri-
litas. Sanate sunt ergo aq-
ue usque ad diem hanc, iuxta ver-
bum helisei quod locutus est.
Ascendit autem de bethel. Cum-
que ascenderet per viam, pueri
parvi egressi sunt de civitate
et illudebant ei dicentes. As-
cende calve, ascende calve.
Qui cum respexisset vidit eos
et maledixit eis in nomine domini.
Egressique sunt duo ursi de
saltu et laceraverunt ex eis
xl et duos pueros. Abiit autem
inde in montem carmeli et
inde reversus est samariam.

cm 3m Capitulum tercium

Ioram vero filius ahab reg-
navit super filios israel in sama-
ria, anno octavo decimo iosa-
phat regis iuda. Regnavitque
xii annis. Et fecit malum co-